

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0499

0497

0503

0493

0508

Hoc horribile et immane facinus est in loco hoc commis-
sum in perpetuum Judaeorum opprobium. Nam hodie, dum
quis Judaeo loquitur de hoc vitulo, rubore perfunditur; hoc ego
ipse expertus sum multis vicibus, cum Judaeis conferens. In
hoc ergo loco filii Israel secundum psalmum oblii sunt Deum,
qui salvavit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in
terra Cham, terribilia in mari rubro, et fecerunt vitulum in
Oreb et adoraverunt sculptile et mutaverunt gloriam suam in
similitudinem vituli comedentis foenum.

Circa hoc ergo non immerito cadit dubitatio, ex quo filii
Israel idololatrare volebant, quare potius vitulum pro deo suo
constituerunt conflatilem, quam hominem conflatilem vel leo-
nem, aut ovem, aut Veneris aut Jovis aut Saturni aut Aes-
culapii imaginem? Quid istum infelicem populum in amorem
vituli attraxit? (b) Respondeo: Aegyptii, inter quos habi-
taverunt multo tempore, erant idolatrac et colebant Apim
in specie tauri sive leonis, Jovem vero in specie arietis.
Porro Apis erat quondam homo, rex Arginorum. Hic cupi-
ditate ductus acquirendi aliud regnum transfretavit in Aegyp-
tum et populum rudem devicit, eisdem regimen humaniter
vivendi tradidit et vinum facere et bibere eos docuit. Unde
in tanta veneratione incepit haberri, ut eum pro suo deo cole-
rent et Isim conjugem suam pro dea haberent. Hic Apis a
fratre suo Typheo occulte occisus fuit, quem Isis uxor sua
et Aegyptii omnes aestimabant se abscondisse et eum multo
tempore quaesiverunt, tandem autem juxta Nilum quaerentibus
viderunt taurum vel bovem album de aquis ascendere et in
littore saltando ludere cunctis inspectantibus. Hunc taurum
aestimaverunt Apim esse et cum universo genere musicarum
venerunt et saltante tauro saltaverunt, currente eo cucurrerunt
et per campum secuti taurum choreas ducebant, quas ante hoc
factum nemo sciebat. Illum ergo taurum, vel potius diabolum
in tauro, Apim vocabant eumque pro Api ut Deum colebant
et eum nutriebant. Bove hoc mortuo iterum Apim quaerebant
et vitulum ejusdem coloris invenerunt, quem divinitus procu-
rari sibi credebant et pro Api adorabant et postea Serapim
nomine mutato eum vocabant et Api jam spreto Serapim
loco solis adorabant. Cui mirabile simulacrum et templum in

0488

0548

0448

0598

0398

0998

Ende

Anfang

